oz. Aut nō libere veritatē defēdit. quā libē defē-
dere dz: ꝓditor ē veritatis. Nā ſicut ſacerdos debi
tor ē. vt veritatem quā audiuit a deo libē p̄dicet.
Si laycus debitor eſt. vt veritatē quā audiuit in
ſcripturis ꝓbatā: fiducial'r defēdat. hec ille. xi. q.
iij. nolite. Nō tñ p̄dicator dz dicē oēm veritatē: ſ₃
q̄ ꝯueniat auditoribꝰ. cuiuſmōi. ſ. ſint capaces et
q̄ vtilis ſit eis. Sz dolendū ē. q̄z iā venit tp̄s qd̄ p̄
dixit apl's. ij. ad thimo. iiij. Erit eñ tempus cum
ſanā doctrinā nō ſuſtinebūt. Et a veritate quidē
auditum auertēt. ad fabulas aūt ꝯuertent̄. Siq̄
aūt dicta gētiliū poetaꝝ vel ꝑhoꝝ ñ ad oñtatio
nē: ſ₃ ad maiorē ꝯfirmatōez veritatis aliqñ īdu
cant̄. vt ancille deſeruiētes dñe theologie: ñ erit
incōueniēs. Vñ clemēs papa. Cū ei ex diuis ſcri-
pturis q̄s firmā regulā veritatis ſuſcepit. abſur
dū ñ erit ſi aliq̄d ex erudītōe cōi. ac liberalibꝰ ſtu
dijs q̄ forte in pueritia attigerit ad aſſertōz veri
dogmatis ꝯferat. ita tñ vbi vera didicerit: falſa ꝛ
ſimł'ata declinet. di. xxxvij. relatū. Si aūt q̄s aliq̄
docēt falſa vel incauta. vel q̄ p̄nt eſſe occaſio ma
li. ñ erubeſcat cū expedit retractare vel declarare
q̄z nec Aug. erubuit facē libꝝ retractatōnū cum
eſſet doctiſſimꝰ oīm Ecc̄i. iiij. Nō ꝯdicas v̄bo veri
tatis vllo mō. cū. ſ. rephēderis de errore. ij. ad Co
rin. xiij. Nō poſſumꝰ aliq̄d ꝯ veritatē: ſ₃ ꝓ v̄itate
Aug. Magne ſapie ē hoīem reuocare qd̄ male lo
cutus ē. xxij. q. iiij. magne ¶ Qr̄tū ad v̄itatē iuſti
cie dic tho. vbi ſup̄. q̄ veritas iuſticie ē ſm̄ qd̄ ali
q̄s rectitudinē legis ī iuditijs q̄ ſūt ad alteꝝ ſuat
Vñ ſm̄ qd̄ aliq̄s veritatez maīfeſtat ex iuſticia:
puta cū in iuditō teſtificat̄ veꝝ vel ꝯfitet̄. Et ſic
ē quidā actꝰ iuſticie. Vñ ñ ꝓprie ꝑtinz ad veritatē
put ē ſpālis v̄tus. Ad veritatē iuſticie ꝑtinet ñ
reſpicē ad ꝑſonas: puta q̄z paup idō ꝯpaciendū.
vel q̄z ꝯſanguineus et idō nō puniēdus ꝛ hꝰ. puer.
xxviij. Qui ꝯgnoſcit in iuditō faciē nō bñfacit. ꝛ
ꝓ bucceila panis deſerit veritatē. Et dñs in lege
Nō miſereberis ī iuditō paupis. vt a vero deuies.
Hinc ꝛ Aug. Querit̄ p̄r de malo filio. querit̄. i.
ꝯquerit̄ filius de duro p̄re. ſeruamꝰ honorificen
tiā p̄ri que debet̄ ei a filio. nō eq̄mus filiū p̄ri in
honore: ſ₃ ꝑponimꝰ filiū p̄ri in veritate. ij. q. vij.
querit̄. Nec etiā debet attēdere iudex ad munera
ſ₃ reſpuere Deut̄. xvj. Munera ꝑuertunt v̄ba iu-
ſtoꝝ. vt. ſ. falſā ſnīam ꝓferāt. Vñ Gre. Honis ma
le vtunt̄ q̄ ꝓ tp̄ali lucro iuſte iudicāt. Tēs qui-
dem ad veritatē ñ iuſticie defēſio: ſ₃ amor premij
ꝓuocat. quibꝰ ſi ſpes nūmi ſubtrahit̄. cōfeſtim a
iuſticia executōe recedūt. Acceptō muneꝝ p̄uari
catō eſt veritatis. xi. q. iij. qui recte. Pertinet ad
veritatē iuſticie reſiſtē malis. et defendē innocē-
tes ꝯ oppreſſores. Vñ dr̄ di. lxxxiij. Error cui nō
reſiſtit̄: approbat̄. Veritas cū minime defenſat̄:
opprimit̄. Negligē q̄ppe cū poſſis ꝑturbare ꝑuer-
ſos. nihil ē aliud q̄̄ fouē. Pertinet ad veritatē iu
ſticie iudicare ſm̄ allegata et ꝓbata: ſed ꝑus bñ
examīata. Vñ Amb. Bonus iudex nihil ex arbi
trio ſuo facit. et domeſtice ꝓpoſito volūtatis: ſ₃ iu
xta leges et iura ꝓnūtiat. examinat cauſaꝝ meri
ta non mutat. iij. q. vij. iudicet. Sz p̄t hodie dici
illud. Corruit veritas in plateis Jſa. lix.

## ¶ Vtilitas huius virtutis .§. iij.

oſtendit̄ cū ſubdit̄. Et miſc̄dia mea cuz ip̄o. q. d.
Quia fuit in eo v̄itas. erit in illo miſc̄dia mea. i.
faciaz ei miſc̄diam. Miſc̄dia aūt dr̄ q̄ſi miſeriam
adimēs. Vñ et xp̄c Jo. viij. ait. Veritas liberabit
vos. Adimit aūt ꝛ liberabit a multiplici miſeria
Prio a miſeria obſcuratōis. Secundo a miſeria

ingl'iatõnis. Tertõ a miſeria depuatõis. Quarto a miſeria dãnatõnis. Quãtũ ad primũ dic Job Tenebris iuoluimur ꝛc̃. Aĩa eĩ nr̃a (vt ait pħs) naſcit̃ ſic tabula raſa in q̃ nihil ẽ pictũ. Nullã veritatẽ ꝯgnoſcit vnde in magna obſcuritate ẽ. Et hec ẽ magna miſeria. Sꝫ liberat̃ ab hac miſeria paulatĩ ꝑ veritatẽ ſibi mãifeſtatã ab alijs et a ſe ꝯgnitã. veꝝ em̃ ẽ bonũ intellect⁹ qð ꝑficit ipm̃. ꝛ illuſtrat obſcuritateꝫ ei⁹. Et ſic nullus mẽti ſuauioꝛ cibꝰ q̃ veritas. vt ait lactãtius in li. inſtitu. Jta null⁹ amarior ſeu magis noxi⁹ cibꝰ aĩe q̃ falſitas. Secũdo ṽitas locutõis liberat ab ingl'atione. i. infamia. Sic em̃ fallatia hoĩs facit eum infamẽ. ita vt q̃libet deteſtet̃ hoĩes mẽdaces. nec credat eis cũ etiã dicũt ꝛ iurãt veritatẽ. Jta q̃ verax eſt in ṽbo locutõis. iñ ſibi bonã acq̃rit famã. Cuꝫ em̃ hõ ſit aĩal ſotiale. nat̃alr̃ vnuſq̃ſqꝫ dꝫ alt̃ alteri id ſine q̃ ſotietas hũana ꝯuerſari ñ p̃t. Nõ poſſent aũt hoĩes ꝯuiuẽ niſi ſibinuicẽ crederent tanq̃ veritatẽ manifeſtãtibꝰ. Et ꝓpter hoc fallax exoſus et infamis dr̃. q̃i deſtructiu⁹ hũane ſocietatis. Et verax diligit̃ vt ꝯſuatiuus eiuſdẽ. Et dicit tho. ſcđa ſcđe. q. cix. ar. iiij. q̃ ṽtus ṽitatis potius declinat in min⁹ q̃ in maius. hoc tñ p̃t intelligi dupl'r. cũ dr̃ decliare in min⁹. Uno mõ affirmãdo: puta q: nõ maĩfeſtat totũ bonũ qð in ſe ẽ. ſciam vl' ſc̃itatẽ vel h⁹. Et hoc fit ſine p̃iuditiõ veritatis. q: in maioꝛi includit̃ min⁹. Et ſic ṽt⁹ veritatis declinat in min⁹. Hoc em̃ (vt pħus dic in li. ethi) videt̃ eſſe prudẽtius ꝓpt̃ oneroſas ſupħabũdãtias. Hoĩes eĩ q̃ maiora ꝺ ſe dicũt q̃ ſint. ſũt alijs oneroſi q̃i alios excellẽ volẽtes. Qui at̃ minora de ſe dicũt q̃ ĩ eis ſint. ſũt alijs g̃roſi. q̃i alijs ꝯdeſcẽdẽtes ꝑ quãdã moderatõeꝫ. Uñ apl's. ij. ad Corin. xij. Si voluero gl'iari nõ ero inſipiẽs. veritateꝫ em̃ dicã. Parco aũt ne q̃s exiſtimat. ſup id qð videt in me aut audit aliq̃d ex me. Alio mõ negãdo declinat in min⁹. Cũ. ſ. negat qð in eo ẽ. Et hec nõ ꝑtinet ad veritatẽ q: falſũ ĩcurrit. Sꝫ ꝑtinet ad ironie vitiũ. tñ min⁹ peccat ꝯ̄ veritatẽ q̃ ꝑ iactãtiã ex q̃ plus dic de ſe q̃ ſit. Tertõ liberat veritas a miſeria ꝑ̃uitatis. vbi ẽ veritas ibi ṽtus. ibi ſp̃uitas. vbi ẽ veritas vi te. cũ excludat om̃e vitiũ. ibi ꝑ̃uitas locũ nõ hꝫ. hic verax ẽ ꝛ iniuſticia in illo ñ ẽ. dr̃ Jo. vij. Sꝫ ꝛ om̃is ꝑ̃uitas ꝯmiſſa pc̃i tollit̃ ꝑ veritatẽ ꝯfeſſionis et pn̄ie. Uñ p̃s. Ueritas de terra orta ẽ. i. vera ꝯfeſſio de pc̃toꝛe. ꝛ iuſticia de celo pſpexit. i. iuſtificatõ a deo. Jta exponit Aug. ꝺ pe. di. j. Et idẽ Au. dic. Uera pn̄ia ad baptiſmi puritatẽ conat̃ adducẽ penitẽtẽ. Quarto liberat a miſeria dãnatõie. Si mãſeritis in ſmone meo. ſ. ꝑſeuerãdo in obſeruatõe ei⁹. vere diſcipl'i mei eritis ꝛ ꝯgnoſcetis veritatẽ ꝛ ṽitas libauit vos Jo. viij. liberabit. ſ. a dãnatõe ꝑſeruãdo ne ĩcurratis. Siq̃s ait ipſe in eodẽ ca. ſmonẽ meũ ſuabit mortẽ ñ videbit inet̃nũ. Si ego ṽitatẽ dico vob. q̃re ñ creditis mihi. cũ ꝑ hoc euabatis miſeriã oẽm. q: ṽitas mea in q̃ eſt ibi ꝛ mia mea ad tollẽdas miſerias.

Quãtum ad tertiuꝫ princi. §. iiij.
pale qð ẽ remuneratõ veritatis. hoc oñdit̃ dum dr̃. Exaltabit̃ cornu ei⁹. Dic Aug. ſup p̃s. Cornua iuſti ſũt munera xp̃i q: eminẽt. Precipuum mun⁹ xp̃i ẽ grã ſua. vñ ꝛ ṽtutes ꝓcedũt ꝛ merita. Exaltat̃ aũt iſtud cornu gr̃e. cũ ꝑ eã ꝑuenit̃ ad gl'am Jo. iij. Qui facit ṽitatẽ. i. opando ſm eã. h̃ venit ad lucẽ. ſ. glie. Uñ faciẽtibꝰ tribꝰ cubicularijs regis darij q̃ſtionẽ int̃ ſe. ꝛ corã eo ꝛ ſapiẽtibus ſuis diſceptãtibꝰ qð ẽ forti⁹ om̃ibꝰ. vn⁹ dixit vinũ. ali⁹ regẽ. terti⁹. ſ. zorobabel mulierẽ ꝛ magis veritatem. ꝯcludẽdo q̃ veritas vicit ꝛ viuit et obtinet in ſc'la ſc'loꝝ. Uide hiſtoriaꝫ q̃ pulcra ẽ et multa ꝯtinet ad ꝯmẽdatõeꝫ veritatis. Uinũ ſig̃t ſapiam hũanã q̃ inebriat. Rex potẽtiã ꝛ rex habundantiã. Mulier voluptatẽ. Hec om̃ia potẽtia ſũt. Sꝫ veritas om̃ibꝰ ꝑ̃ualet q̃ ꝯducit ad regna celoꝝ vbi ſemꝑ viuit̃. Habet̃. ij. eſdre. iij. capi.

De virtute fidelitatis. Capitulũ. xvj.

Fidelitas in promiſſis vl' ꝯmiſſis videt̃ ꝑtinere ad ṽtutẽ veritatis. Et iõ aliq̃d hic de ea breuit̃ dicẽdũ. Dic Jſido. in li. ethimol'. q̃ fidelis dr̃ quis. ꝓ eo qð fit ab eo qð dicit vel ꝓmittit bonũ. Signant̃ aũt dicit bonũ. q: ſi malũ ꝓmittẽt: ſuare nõ debet. Juxta illud Jſidori. Jn malis ꝓmiſſis reſcinde fidẽ. i. fidelitatẽ. non ſeruãdo illð. Et ſm hoc dicit p̃s de dño. Fidelis deus in om̃ibꝰ verbis ſuis. quia verax eſt. et obſeruat q̃ ꝓmittit nobis. que nõ ſunt niſi bona. Et hec fidelitas in ſcriptura multũ ꝯmẽdatur. ꝓuer. xviij. c. Uir fidelis multũ ꝯmẽdatur Numeri. xij. Moyſes in oĩ domo mea fideliſſimus ẽ. Et. j Reg. xxij. Quis in omnibꝰ ſuis tuis fidelis ſicut dð dixit ad abimelech ad ſaul. Fidelitas aũt iſta maxime ẽ ꝯmẽdabilis in tribꝰ generibꝰ hoĩm. Primo ĩ amico ſuo Secũdo in nũtio vel legato. Tertõ in ſuo vel diſpẽſatore inſtituto. Quãtũ ad primũ dr̃ Ecc̃i. vj. Amico fideli nulla ẽ ꝯpatõ. Jdẽ amic⁹ fidelis medicam̃tũ vite. Sic ꝑ medicam̃tũ hõ recupat vitã. ita ꝑ auxiliũ et ꝯſilium amici fidelis q̃s aliq̃ñ recupat vitã aĩe et corꝑis. Jſta aũt fidelitas in amico oñditur. Primo in ꝯſilijs vt det amico bonũ ꝯſiliũ ꝛ ſanũ. Nõ ſic ille q̃ dedit ꝯſilium amon vt fingeret ſe infirmũ ad hoc. vt thamar ſoroꝛ ei⁹ ex cuius ꝯcupia erat inflãmat⁹ venirꝫ ad viſitãdũ euꝫ et ſic ꝯſtupraret eã. ij Reg. xiij. Aut ꝯſiliũ qð dedit balaan balach regi moabitaꝝ. vt induceret iſrl'itas ad fornicandũ. Sed ſic daniel q̃ nabuchodonoſoꝛ vt euaderet ſñiam ſibi ꝯminatã dixit. Placet tibi rex ꝯſiliũ meũ. pc̃ta tua elemoſinis redime Dañ. iiij. Secũdo oñditur fidelitas in amico in ſecretis. vt. ſ. nõ denudet. ꝓuer. xj. q̃ ambulat fraudulent̃: reuelat archana. Qui aũt fidelis celat amici ꝯmiſſũ. Et Ecc̃i. xxvij. Qui denudet archana ꝑdet fidem amici. Et hoc ẽ veruꝫ q̃ñ ex celatõne ſecreti nõ ſequit̃ malũ. Tertõ oñdit̃ fidelitas in amico ſuo in aduerſis cũ nõ deſerit Ecc̃i. xxij. Fidem poſſide cũ amico in paupertate illius. vt in bonis illius leteris. Jn tp̃e tribulatõis illi⁹ ꝑmane illi fidl'is. Exẽplũ ꝺ illis duobꝰ pħis amicis. quorum alterũ cum captũ dyoniſi⁹

tyrānus Sicilie vellet ꝯdēnare ad mortē. petijt dilatōēʒ a tyrāno. vt vadēs ad ciuitatē ſuā diſponere poſſet de factis ſuis. Et cū tyrānus peteret fideiuſſorē ꝓ eo de reuerſione. ille reqſitū amicuʒ ſuū illū ꝑſōm dedit. ꝯclarato ſibi a tyrāno ꝙ ſi tpe et hora determīata ille ñ rediret. ipē occideret̄ ꝓ eo. Qui ꝓ eo ſe obligauit. Et ille expeditis negotijs ſuis hora ſtatuta reuerſus ē. Qua fidelitate ꝯſiderata ꝑmaxima. tyrānus illi pepcit et ſe fieri tertiū amicū eoꝝ poſtulauit. Narrat valeri⁹ hoc ¶ Qūtum ad ſecundū dr̄ puer. xiij. Legat⁹ fidelis ſanitas. Et iteꝝ. Sic frigus niuis in die meſſis. ita legat⁹ fidelis ei q̄ miſit illū. Frigus niuis cuʒ accidit in meſſe refrigerat metentē a colore. ita legatus refrigerat mittentē ab eſtu ſolicitudinū vel melius. Sic frigus niuis in hyeme pīguefacit terrā. ⁊ ſic ī meſſe hr̄ copioſius fructus. ita fidelis legatus fructuoſe opat̄ ⁊ vtilit̄ ipm ꝓmittēte. Ecōtra de infideli legato ſeu nūtio dr̄. Dens putridus ⁊ pes lapſus. qui ſpat ſup infideli in die anguſtie. Dens putridus magnū dolorē ingerit. Vñ vulgarit̄ dr̄. ꝙ ñ ē dolor ſic dolor dentis. Sic infidelis nūtius vel legat⁹. ei q̄ ſperat ī eo. vt dēs putridus ingerit afflictōēm. Eſt ⁊ pes lapſus. ſic enī ille q̄ deſiderat ad aliquē locū ꝑuenire. et pre laſſitudine nō pt: multū affligit̄. ſic qui expectat nūtiū infidelē. Legatos aūt male tractare ē mag̃ iniuſticia. et ꝯtra ius gentiū frangere ſecuritatē eoꝝ. di. j. ius gētium. et ḡuiter punit̄ talis iniuria. que eſt ꝯtra ꝯmunē fidelitatē. Nam vt dicit Aug. Fides. i. fidelitas etiā hoſti cū ꝓmittit̄ ſeruāda eſt. xxiij. q. j. noli. Vñ dauid. qꝛ rex āmonitaꝝ ad quē miſerat ſuos legatos ad ꝯdolendū et ad ꝯſolādum de morte pr̄is. dehōēſtauit eos. ſuggerentib⁹ ſibi ꝯſiliarijs ſuis. ꝙ ꝓditōſe hoc egerat dauid. nō ad ꝯſolandū: ſʒ ad explorādum. Unde raſis eis barbis ꝑ medietatē ⁊ veſtib⁹ eoꝝ abſciſ vſqꝫ ad nates: remiſit ad dauid. Sʒ ob talē iniuriā factā. miſit Joab cū exercitu ſuo ꝯ rabath ciuitatē ꝑncipalē āmonitaꝝ. ⁊ ea capta fecit magnā ſtragē. vt hr̄. ij Re. x. Et de iudeis dic egeſippus. Preuaricati ſūt leges oīm hoīm. ipoꝝ etiā barbaroꝝ. qm̄ apd ipos qꝫ qui neſciūt hūanitatē īuiolabiles legati hn̄tur. dū vindicta celeſtis formidat̄. ⁊ tāti ſceleris vltor deus timet̄. hoc ḡ admiſerūt aduerſarij nr̄i. ſ. iudei. ꝙ nec hūane nec diuine leges multū relinquūt. hec ille. Et forte loquit̄ de apl'is quos iudei ꝑſecuti ſūt multipliciter qui erāt legati dei. Vñ apl'us Paulus. Legatōne fūgimur deo exhortante ꝑ nos. ¶ Qūtum aūt ad tertiū dr̄ Eccī. xxxiij. Si eſt tibi ſuus fidelis. ſit tibi q̄ſi aīa tua. et quaſi frēm ſic tracta illū. Fidelitas aūt ſui ſeu diſpēſatoris oñditur circa bona ſibi ꝯmiſſa in trib⁹. vt. ſ. nō diſſipet. nō defraudet. et vt multiplicet. Primo cauere dʒ cui ꝯmiſſa ē aliqua diſpēſatō. vt nō diſſipet bona dn̄i ſui. Vñ in euangelio. Villicus q̄ diffamatus fuit ꝙ diſſipaſſet bona dn̄i ſui. āmotus fuit a diſpenſatione Lu. xvj. Et apl's. j. ad corin. iiij. ait. Hic iā q̄ritur inter diſpenſatores vt fidelis q̄s inueniatur. q. d. Rari ſunt qui non diſſipent. Qñ in tꝑalib⁹ diſpēſator nō expēdit vtiliter bona dn̄i ſui: diſſipator ē. Et ſilr̄ q̄libet p̄latus qui dat bn̄ficia officia diſpēſatōnes ꝯ iura ꝯmunia et ſacr̄a indebite. nō ē diſpēſator: ſʒ (vt dic Bern) diſſipator. Et ſilr̄ in bonis tꝑalib⁹ vel naturalib⁹ vel ſpūalib⁹. q̄ dn̄s ꝯceſſit. fecit nos ſuos diſpēſatores. Sʒ cum male eis vtimur: diſſipam⁹ bona dn̄i nr̄i. ſic filius ꝓdigus q̄ diſſipauit ſubam ſuā Luc. xv. Secūdo ſu⁹ diſpēſator dʒ cauere ne defraudet ſibi accipiendo bona dn̄i ſui ſic fecit iudas. q̄ portabat loculos. i burſā ſeu ſcarſellā pecūie q̄ elemoſinalr̄ dn̄o ⁊ diſcipulis t̄debat̄. de q̄ dic euāgeliſta ꝙ fur erat. et ea q̄ mittebant̄ in loculis portabat Jo. xv. Id ē aſportabat donū ꝑ ſe ⁊ familia ſua. Sic etiā q̄libet de bonis opib⁹ ſuis to⁹ū dʒ deo tribuere ab eo recog̃ſcēdo. ñ ꝑtem furādo videlʒ attribuē ꝟtuti vel inq̄rēdo gl'iam hūanā. Vñ Bern. Fidel' reuera famulus es. ſi ꝯ multa gl'ia dn̄i tui. ⁊ ſi ñ exeūte a te. tn̄ trāſeūte ꝑ te. nil manib⁹ tuis adherere ꝯtingat. Tertō bon⁹ et fidelis diſpēſator ñ ſolū dʒ ꝯſuare bona dn̄i ſui: ſʒ etiā augmētare. inq̄tum p̄t licite. ſic fecit Jacob erga labam ſoceꝝ ſuū. Et ioſeph erga phutiphar dn̄m ſuū. q̄ diſpoſitōēʒ totius dom⁹ ſibi ꝯmiſerat. et oīa multiplicabant̄ in māib⁹ ſuis. Nec cū nouerat ioſeph niſi panē q̄ veſcebat̄ Geñ. xlj. Sic ⁊ q̄libet grās ſibi a deo collatas varias. ſiue ml'tas ſiue paucas: dʒ ſolicite ꝓcurare vt eas multiplicet in grā creſcēdo. vt talēta ſibi ꝯmiſſa. Nā vt hr̄ ī ꝑabola euāgelica Mat. xxv. Qui q̄nqꝫ talēta accepat. qꝛ lucrat⁹ ē cū eis alia q̄nqꝫ. g̃roſe in reddit̄ōe rōnis ſibi dictū fuit. Euge ſue bone ⁊ fidelis. qꝛ in pauca fuiſti fidelis ſup̄ multa te ꝯſtituā. int̄ ī gaudiū dn̄i tui. Et ſilr̄ dictū fuit ſuo q̄ cum duob⁹ ſibi ꝯmodatis fuerat duo alia lucrat⁹. Qui ꝟo vnū ſolū receptū. ñ ml'tiplicauit cū illo negociādo: ſʒ illō abſcōdit inuectiue ſibi dictū fuit. Serue nequā ⁊ piger. q̄re ñ dediſti pecuniā meā ⁊c̄. Et ablato ſibi talēto. fuit miſſus in tenebras. Vñ ⁊ pe. in canonica ſua. Si q̄s accepit grām in alteruꝝ illā admiſtrātes vt boni diſpēſatores multiformis grē dei. Et Apoc. ij. dr̄. Eſto fidelis vſqꝫ ad mortē. ⁊ dabo tibi coronā vite. Fidelis. ſ. bene diſpenſando tibi ꝯceſſa.

## De libalitate inq̄tum differt a miſcōia. Ca. xvij.

Liberalitas ꝯnumeratur int̄ ꝟtutes ānexas iuſticie ab andronico paripathetico. vt r̄fert. b. tho. ſcōa ſcōe. q. lxxx. Et Amb. dic in li. ꝺ offi. ꝙ in euāgelio ml'tas diſciplinas accipim⁹ iuſte libalitatis. Circa qō ſciendum vt clareſcat de materia ei⁹ ⁊ de nomine q̄re ſic nūcupet̄. ꝭm tho. ſcōa ſcōe. q. cxvij. ar. ij. Duplex ē obiectū ſiue materia libalitatis. Prima et imediata materia ei⁹ ē interior paſſio. ſ. affectus ad pecuniā. Secūda exterior materia ē pecūia. Rō h⁹ ē. qꝛ libalitas ñ attēdit̄ in quātitate dati ſʒ in affectu dātis. Affectus aūt dātis diſponit̄ ꝭm diſpoſitōeʒ amoris ⁊ ꝯcupīe. ꝑ modū delectatōis ⁊ triſticie ad ea que dant̄. Et iō imediata materia libalitatis ē paſſio īterior. pecūia aūt exterior ē obiectū ꝑdictaꝝ paſſionū. Et ꝭm hoc dic ph's in. iiij. eth. ꝙ libalitas

videt̃ eſſe quedā medietas circa pecuniā. Dicit̃
aūt liberalitas ex eo. q̃ cū liberalē ptineat emiſ
ſiuū eſſe ſm phm in. iiij. ethi. Uñ et alio noie li-
beralitas largitas noiatur. qđ q̃ largū ē. nō eſt
retentiuū: ſʒ emiſſiuū. hoc idem ptinere videt̃ ad
nomē libalitatis. Cū eñ aliqđ emittit qđāmodo
illđ a ſua cuſtodia ⁊ dominio liberat. et aīm ſuū
ab eius affectu liberꝝ eē oñdit. Ea aūt q̄ emittū-
tur ab vno hoie i aliū. ſūt bona poſſeſſa q̄ noie
pecunie ſignificant̃. Nā vt dic Aug. ⁊ hr̃. j. q. iij.
Totū. Quicqđ hoies i t̃ra hñt. q̄ꝝ ſūt dñi: pecu
nia vocat̃. q̃ ⁊ antiq̄ q̄cquid hēbāt. i pecūia ha-
bebāt. Uñ pecūia a pecu. Et ſic pecūia dr̃ eē ma
teria libalitatis. ¶ Q̃ aūt libalitas ſit v̄t⁹. decla
rat. b. tho. ſcđa ſcđe. q. cxvij. ar. j. Sic dic Au. in
li. de libero. arbi. Uti bñ reb⁹ q̄b⁹ male vti poſſu-
mus: ptinet ad v̄tutē. Poſſum⁹ aūt vti bñ ⁊ ma-
le. ñſolū potētijs et paſſionib⁹: ſʒ etiā his q̄ extra
nos ſūt. ſ. reb⁹ tpalib⁹ ɔceſſis nob ad vſū ⁊ ſuſten
tatōem. Et iđ bñ vti his reb⁹ cū ptineat ad liba-
litatē. pʒ q̃ ſit v̄tus. Q̃ aūt dic phs in. iiij. eth. Li
beralis ñ ē reſpicē ad ſeipm. ita q̃ ſibi mīora de-
relinq̄t. Nō ſic ē intelligēdū q̃ ſic alijs intēdat. q̃
aīo ſe et ſuos deſpitiat. q̃ hoc eēt ɔ̄ inclinatōem
naturalē et p ɔñs ñ v̄tuoſū opus. Sʒ cuʒ pauca
vni ſuffitiāt. iđ plura q̄ liberalis in alios expēdit
q̄ ſibi cū habūdat reb⁹. Debet aūt hō ſemp ma-
gis puidē ſibi i ſpūalib⁹ bonis in q̄b⁹ vnuſq̄ſq; ſibi
puidere p̄t. nō aūt vnuſquiſq; p̄t ita ſibi vel alijs
de tpalib⁹ puidere. Uñ Amb. in li. de offi. Probā-
da eſt illa liberalitas. vt primos ſeminis tui non
deſpitias. ſi illos egē ɔgnoſcas. Melius ē eñ vt
ip̄e ſubuenias tuis. quib⁹ pudoꝛ ē ab alijs ſūptuʒ
poſcē neceſſitatis. Nō tñ vt illos diuites facias.
hr̃. in decre. di. lxxxvj. nō ſatis. Et q̃ ſm phm in
iiij. eth. nō ſm ſubām. i. facultatē diuitiaꝝ dr̃ li-
beralitas: ſʒ magis ſm dātis hituʒ. Jđ etiā pau
per q̄ ñ hʒ ad dādū alijs. p̄t hr̃e liberalitatē q̄tū
ad habitū. q̃ p̄t hr̃e tlēm diſpoſitōem mētis. q̃ ſi
hr̃et facultates: largiret̃ ⁊ rōnabil'r diſpēſaret.
Qđ etiā dicit phs in. iiij. eth. Liberalis ñ ē acce
ptiu⁹ vel ɔſuatiuus pecūie: ſʒ emiſſiu⁹. Nō ſic eſt
intelligendū q̃ liberalis emittat facultates a ſe.
q̄n retineat vñ ſuſtentet̃. ⁊ vñ v̄tutis opa exeq̄t̃
quib⁹ ad felicitatē puenit̃. Uñ Amb. Dñs ñ vult
ſil' effūdi opes: ſʒ diſpēſari. niſi forte ſicut heliſe⁹
q̄ occidit boues ⁊ paupes ex eo recreauit. qđ ha
buit vt nulla cura domeſtica teneret̃. di. lxxxvj.
ñ ſatis. Qui etiā multa ɔſumūt intpantia. ſūt p
digi ñ liberales. Et ſil'r qui expēdunt pter q̄cūq;
pctā. Qui etiā cā iactātie in aliq̄ impia opa ex
pēdūt. ñ ſūt vere liberales. Uñ Amb. in li. đ offi.
Pulcra ē et liberalitas. ñ ɔſiliādi fauoꝛis grā vl-
tra modū effluē. Quicqđ eñ ex affectu ſincero ⁊
puro pmittit̃. hoc decoꝛ ē. di. lxxxvj. non ſatis.

## ¶ De actu liberalitatis hoc .§. j.

aūt eſt bñ vti pecunia. Pro c⁹ declaratōne dicit
tho. ſcđa ſcđe. q. cxvij. ar. iij. q̃ ſpēs actus ſumit̃
ex obiecto. Obiectū aūt ſeu materia liberalitatis
eſt duplex. Interioꝛ. ſ. vt pria materia et magis
pinq̄. Et hec ſūt paſſiones quib⁹ hō afficitur ad
pecuniā. Et exterioꝛ materia ē pecūia. ⁊ quicqđ
pecunia mēſurari p̄t. Ad liberalitatē aūt p̄cipue
ptinet vt hō pter inoꝛdinatā affectōeʒ ad pecu-
niā. nō phibeat̃ a q̄cūq; debito vſu eius. Eſt autē
duplex vſus pecunie. Unus ad ſeipm qui videt̃
ptinere ad ſūptus et expenſas. quas. ſ. quis fa-
cit pro ſe et familia. Alius quo q̄s vtit̃ ad alios
quod ptinet ad datōnes. Pertinet ergo ad libera
lem. vt neq; pter inoꝛdinatū amoꝛē pecunie ali-
quis impediat̃ a ɔueniētib⁹ expenſis. neq; a con
uenientib⁹ datōnib⁹. Quia t̃o obiectū ſeu mate-
ria exterioꝛ liberalitatis ē pecunia vt dictū eſt.
et quelibet v̄tus ɔueniēter ſe habet ad obiectum
ſuū. ɔñs ē. vt cuʒ liberalitas ſit v̄tus: actus ei⁹ ſit
portionat⁹ pecunie. Pecunia aūt cadit ſub rōe
bonoꝝ vtiliū. q̃ oīa exteriora bona ad vſū ſūt
oꝛdinata hoīs. Et iđ prius actus liberalitatis ē
bene vti pecunia ſeu diuitijs. Q̃ aūt Señ. dic. q̃
nō ē aliquis liberalis ex hoc. q̃ aliqđ ſibi donat.
intelligēdum eſt liberalitatē put reſpicit donatō
nes. que. ſ. fiunt alijs. Et ſciēdū ſm tho. vbi ſup.
q̃ vti bñ pecunia ſeu diuitijs ptinet ad diuerſas
v̄tutes: ſʒ diuerſis reſpectib⁹ ſeu rōnib⁹. Nā pti-
net ad iuſticiā ɔmutatiuā vel diſtributiuā. ſm
rōnem debiti legalis. put. ſ. res exterior debetur
alteri ex aliqua obligatōne. vt pter aliquē ɔtra-
ctum venditōnis vel mutui et h⁹. Uel quia habʒ
diſtribui indigētib⁹ ex diſpoſitōne ɔmūitatis vel
alicuius. Pertinet aūt ad liberalitatē ſm rōnem
nō debiti legalis: ſed debiti moralis. qđ attendit̃
ex quadā decētia. nō q̃ ſit alteri obligatus. Et q̃
habet minimū de rōne debiti. iđ Tullius et Ma-
crobius ⁊ plures alij ñ poſuerūt liberalitatē int̃
ptes iuſticie que attēdat debitū. Pertinet etiaʒ
bene vti ſubſtantia tpali ad v̄tutē magnificētie.
ſm quādam ſpālem rōnem. put. ſ. aſſumitur ad
alicuius magni opis expletōeʒ. vt facere magnā
eccl'iam. hoſpitale. vel oꝛnamenta eccl'ie. vel alia
vtilia reipublice. Uñ magnificētia ſe hʒ ex addi-
tione ad liberalitatē. q̄i excellēs liberalitateʒ que
ē circa mediocras expēſas vel datōnes. Pertinʒ
etiā ad miſcđiam ſm rōnem indigētie pauperū
vñ ex ɔpaſſione mouet̃ ad ſubueniēdum. Perti-
net et amicitiā ſeu caritatē. ſm rōnem affectōis
ſpālis ad amicum. Sed liberalitas etiaʒ ignotis
cū expedit elargit̃. nec impedit̃ inoꝛdinato amo-
re pecunie. Q̃ autē liberalitas non ſit ſpecies iu
ſticie: ſed pars potētialis. i. annexa iuſticie. vt ſe
cūdaria principali. Sic declarat Tho. vbi ſup.
Juſticia prie dicta exhibet alteri quod ē eius. vt
in reſtitutōnib⁹. ſatiſfactōnib⁹. et h⁹. Sʒ liberali-
tas exhibet alteri qđ eſt ſuū. et de quo non ē alte
ri obligatus. Conuenit tñ cum iuſticia in duob⁹
Primo q̃ ē ad alteꝝ vt iuſticia. Secūdo q̃ ē cir-
ca res exterioꝛes vt iuſticia. licʒ ſm aliā rōnem.
Et iđ ponit̃ a quibuſdā inter ptes iuſticie vt an
nexa ei. Notandū etiam q̃ ad virtuoſū pertinet
nōſoluʒ ɔueniēter ſua materia vti ⁊ miniſtrare:
ſed etiam preparare opoꝛtunitates ad bñ vtendū.

ſicut ad fortitudinẽ militis ptinet. nõſolũ extra-
here gladiũ in hoſtẽ: ſed etiã exacuere gladiũ et
tenere mundũ in vagina. Sic ad libertatẽ ptinz
nõſolũ beneuti pecunia: ſed eam etiã preparare et
ꝯſeruare ad debitũ vſum. In ipa aũt liberalitate
dicit Grãnus i decretis. di. lxxxvj. §. In ipa mo-
dus adhibẽdus eſt rerꝫ et pſonarꝫ. Rerꝫ vt nõ oĩa
vni: ſʒ ſingulis quedã pſtentur. vt pluribꝫ pdeſſe
poſſimus. iuxta illud pphe. Diſperſit dedit paupi
bus: iuſticia eius manet in ſeclm ſcli. cornu eius
exaltabit̃ in glia. Ubi notandũ q ad liberalitatẽ
magis ptinet dare alijs q petere ab alijs vel acq
rere et ꝯſuare aut p ſe expendẽ. Uñ phs dicit in
iiij. eth. q liberalis ẽ ſuphabũdare in datõne. Hꝰ
aũt rõ eſt ſm Tho. ſcda ſcde. q. cxvij. arti. iiij. qa
pprĩũ eſt liberalis vti pecunia. vſus aũt pecunie
eſt in emiſſione ipius. Nam acqſitio pecunie ma-
gis aſſilatur generatõni q vſui. Cuſtodia aũt pe
cunie inqtum ordinat̃ ad facultatẽ vtendi: aſſi-
milat̃ habitui. Emiſſio aũt alicuius rei. qnto ſit
ad aliquid diſtãtius. tãto a maiori ṽtute pcedit.
ſicpꝫ ex his q pitiũt̃. Et iõ ex maiori ṽtute pcedit
q aliquis emittat pecuniã dando eã alijs. q ex-
pendendo eam circa ſeipam. Propriũ autẽ eſt vt
precipue tedat in id quod pfectius eſt. Nam vir-
tus eſt pfectõ quedã. et iõ liberales maxime lau-
dantur de datõne. vnde dicit̃. Diſperſit dedit ꝛc̃.
Ubi tria de liberalitate nota. Primo q ſit rõna-
biliter. Secũdo q ſit durabilit̃. Tertio q ſit lau-
dabilr. Qtũ ad primũ dicit. Diſperſit dedit pau-
peribꝫ. qtũ ad ſecũdũ. Juſticia eiꝰ manʒ in ſclm
ſcli. qtũ ad tertiũ. Cornu eiꝰ exaltabit̃ in gla.

## Qtum ad primum. Sicut. §. ij.

p prudentiã dirigit̃ oĩs actus ṽtutis moralis. ad
hoc q ſit vere ṽtuoſus. Sic et actus libalitatis
qui ẽ in dãdo. oꝫ q p prudentiã dirigat̃. qꝛ ꝛ ipſa
liberalitas ẽ ṽtus moralis. prudentia aũt ẽ recta
rõ agibiliũ. Quis aũt ſm Tho. ptineat ad pru-
dentiã cuſtodire pecuniã nec ſubripiat̃ vel inuti
lit̃ expendat̃. cũ adhuc maioris prudẽtie ẽ. vtilit̃
eã expendere. q vtiliter eã ſeruare. qꝛ plura ſũt
attẽdẽda circa vſũ rei. qꝛ aſſilantur motui. q cir
ca ꝯſeruatõem que aſſilatur quieti. pecunia aũt
vtilit̃ datur cũ paupibꝫ erogat̃. Rõnabiliter cũ
nõ oĩa vni: ſʒ plura diuerſis ꝯcedũtur. Et hoc
eſt qd dr̃. Diſperſit. i. in diuerſas ptes diuiſit. et
dedit paupibꝫ. nõ pſonis nõ indigentibꝫ. Unde et
Aplus. j. ad Corinth. xiij. Si diſtribuero facul-
tates meas in cibos pauperũ ꝛc̃. Que aũt ratio-
nabiliter ſint ꝯſiderãda in actu liberalitatis. pul
cre notat Amb. in li. de offi. Et hr̃ diſ. lxxxvj. nõ
ſatis. Ubi ait. Perfecta liberalitas fide. cauſa. lo
co. tpe ꝯmendatur. vt primũ ceperis circa dome
ſticos fidei. Grandis enim culpa tibi eſt. ſi fidelis
egeat. ſi ſcias eũ ſine ſumptu eſſe. famẽ tolerare.
erũpnam perpeti. qui pſertim egere erubeſcit.
Si in cauſã ceciderit captiuitatis ſuorꝫ filiorũ
aut calũnie et nõ adiuues. Si ſit in carcẽ aut in
ſupplitijs pp̃ter debitum. ſi tpe afflictõnis nihil a
te reportet. Et infra. Eſt ꝛ alia pbanda libalitas
vt proximos ſeminis tui nõ deſpitias ſi illos ege
re ꝯgnoſcas. Et infra. Conſiderãda ẽ etiã in lar-
giẽdo etas. atqꝫ debilitas. Nõnunq etiã ꝛ verecũ
dia q ingenuos pdit natales. vt ſenibꝫ plus largi
aris qui ſibi iã victũ nequeũt qrere. Similiter ꝛ
debilitas corpis pmptiꝰ ẽ adiuuãda. Precipue tñ
ſi quis ex diuitijs ceciderit in egeſtatẽ. ꝛ maxime
ſine ſuo vitio. Sʒ aut latrocinijs aut pſcriptõne
aut calũnia. que habebat: amiſit. Pulcra etiam
liberalitas in ipo paupis dato tenere mẽſurã. vt
habundes pluribꝫ quãtũ oporteat impꝫtiri pegri
nis nõ ſupfluas impẽſas: ſʒ ꝯpetẽtes. Hec oĩa
Amb. ibi. Et q̃uis petẽdo pecuniam ab alijs. ex
hoc aliqs plus poſſʒ dare alijs. tñ dicit phs q li-
beralis ñ eſt ptitiuus. Rõ hꝰ ſm Tho. vbi ſup. ẽ.
qꝛ dare et accipe ſe hñt ſicut agere et pati. Nõ eſt
aũt idẽ pncipiũ agendi ꝛ patiẽdi. Uñ cũ libalitas
ſit pncipiũ datõnis. nõ ptinet ad liberalem vt ſit
pmptus ad recipiendũ. ꝛ multominꝰ ad petendũ
Uñ ṽ. Siquis in hoc mũdo vult gtus hñi. det ca-
piat qrat plurima pauca nihil. Redde ſingla ſin
gulis. Et apls inducit auctẽm dñi: dicẽtis. Bea
tius ẽ dare q accipe. Qꝫ aũt qs petat elemoſinas
ab alijs nil pp̃ter hoc diminuit ſibi de liberalitate
Et ſilr. ſiquis effectus paupꝫ pp̃ter xp̃m vt religio
ſi petant p ſe elemoſinas. nihil ſibi diminuunt de
liberalitatis pfectõne et aliarꝫ ṽtutũ: ſed potius
adaugent qtum ad hitum. Quis igitur liberalis
multis modis poſſit bene vti pecunia. iſte tñ rõ-
nabilius quo diſperſit dedit pauperibꝫ.

## Qꝫ actus liberalitatis du- . §. iij.

ret oñditur dũ ſubdit̃. Juſticia eius manet in ſe
culũ ſeculi. Juſticia. i. opus iuſti qd fecit in dan
do paupibꝫ. manet in ſclm ſcli. i. in alio ſeculo qd
ſuccedit huic pñti ſeculo. Manet aũt. i. durat nõ
inqtum ad actũ: ſʒ inqtum ad meritũ et fructũ
mercedis. Uirtutes eñ morales vt iuſticia ꝛ alie
et ſi remanẽt ſctis in pria ſm Tho. et alios qtũ
ad hitum. nõ tñ hñt eundẽ actũ quẽ hic hũerũt.
Ibi eñ nulla ẽ indigentia. Et ideo nõ oportet vt
vnus alteri aliqd det: ſʒ meritũ illius datõnis iu-
ſte manet vſqꝫ ad aliũ ſeclm. vbi de eo recipit fa-
mã Mat. x. Qui dederit potũ aq frigide ñ perdet
mercedẽ ſuã. Dicꝫ eñ xp̃c in finali iuditõ his qui
dederũt paupibꝫ. Uenite bñdicti pr̃is mei pcipite
regnũ. Et aſſigñs cãm tãte retributõis: ſubdit.
Eſuriui eñ et dediſtis mihi mãducare. Sitiui et
dediſtis mihi potũ ꝛc̃. Mat. xxv. Et aplus. j. ad
thi. iiij. Pietas. ſ. q dat̃ paupibꝫ ad oĩa valet. p
miſſionẽ q nunc eſt hñs et future. i. bonorꝫ preſẽ
tium ꝛ futurorꝫ. Naꝫ vltra premiũ ſupnum quod
manet ei qui debite dat. al nõ eſſet liberalis actꝰ
multa etiã bona h recipit Corneliꝰ cẽturio ethni
cus. qꝛ dabat elemoſinas meruit illũinatõꝫ fidei.
apparẽte ſibi angelo ꝛ admonẽte. vt mittẽt p pe-
tro aplo qui eũ docẽt viaꝫ ſalutis Act. x. Uidua
q dedit helye bucellã panis et puſilluꝫ aque. me-
ruit ſibi multiplicatõem farine ꝛ olei vt non defi
ceret ſibi tẽpore famis. Et exinde etiã reſuſcitatõ
nem filij mortui. iij Re. xvij. Thobias q dabat in

digentib᷒ ꝺ bonis ſuis. meruit illuminatōem ſue
cecitatis et habundātiā tꝑalem. Nabuchodono-
ſor dādo elemoſinas dilatata fuit ſnīa data ꝯ eū
ſue punitōnis Daniel. iiij. Rebecha vt liberalis
qꝛ potū aque dedit. ñ ſolū eliezer ꝓcuratori abra-
he: ſꝫ etiā camel' ſuis. meruit deſpōſari pr̄iarche
magno. Iſaac Gen̄. xxiiij. Gregori⁹ magn⁹ qꝛ fuit
liberalis ad paupes. et ſpālit ad eū q̄ apparuit ſi
bi ī forma naufragi fuit ſibi enſtiatū de papatu
Iohīs elemoſinari⁹. qꝛ dabat habūdant paupib᷒
ſꝑ plus habūdabat. Et cū ſemel in domo nō hr̄et
niſi. xx. groſſos. aduenīēti paupi ꝑ elemoſina iuſ
ſit ꝓcuratori illos dare: ſꝫ cū ille ex. xx. retinuiſſꝫ
v. inde ad modicū ſibi miſſa fuerūt. xv. milia flo
renoꝝ diſpēſanda paupib᷒. Vocauit aūt ꝓcurato
rē et dixit ei. Quare ñ dediſti vt tibi mādauerā il
los. xx. groſſos paupi? Ecce miſit nob dn̄s. xv. mi
lia florenoꝝ. qꝛ tu dediſti tm̄. xv. groſſos. Si ꝺdiſ
ſes. xx. et dn̄s miſiſſet nob. xx. milia. ⁊ ſic paupib᷒
nocuiſti nō nob ꝓuidiſti. Et notādū ꝙ hic iuſticia
eius manet in ſcl'm ſcl'i. Nō ē actus liberalitatis
nec opus iuſticie ſiqs det malis hoib᷒ vn̄ foueāt
in pcc̄o. Vn̄ dr̄ Ecc̄i. Benefac iuſto et nō dederis
pc̄tori. Dicit etiā Aug. ꝙ dare hiſtrionib᷒ īma-
ne pcc̄m ē. di. lxxxvj. Talib᷒. ſ. q̄ īhoneſte exercēt
artē illā. Silr̄ ꝓdige expendēdo in ꝯuiuijs. veſtib᷒
et pōpis. nō eſt iuſticia nec liberalitas: ſꝫ nec da
re aliena. Melius eſſꝫ nō auferre ꝙ reſtituē abla
ta. Qꝛ tn̄ ſi fiat debito mō. ſ. reſtitutō ñ erit act⁹
libalitatis: ſꝫ iuſticie ꝯmutatiē. Etiā paupib᷒ dā
do cū ſūt īcerta. Et illa etiā māebit ei in ſcl'm ſcl'i
q̄ ad p̄miū. Duo vitia ſūt ꝯria libalitati. ſ. auari
tia ſm defectū. et ꝓdigalitas ſm exceſſum.

## Quātum ad tertiū. Actus .§. iiij.

Liberalitatis multū laudabilis ē et laudat ab oī
bus. Vn̄ dicit p̄s. Cornu eius exaltabit in gl'a.
Cornu. i. dignitas ſeu v̄tus libalitatis exaltat in
gl'ia hoim. qꝛ tales ſūt gl'ificati amati et laudati.
apud hoies. Vn̄ Boetius in li. de ꝯſolatōne dic.
Largitas que idē ē ꝙ liberalitas. facit hoies cla
ros. i. gl'oſos ⁊ famoſos. auaritia odioſos. Ratō
huius p̄t adduci qm̄ rō bonitatis maxime videt
ꝑtinere ad liberalitatē. qꝛ bonū ſm Dyoniſiū eſt
ſui p̄ius diffuſiuū. Vnde Amb dicit in li. de offi. ꝙ
iuſticia cenſurā tenet. liberalitas bonitatē. libe-
ralis eī bona ſua diffūdit dādo alijs. Et ſic aſſil'a-
tur deo q̄ ē maxime liberal' Iaco. j. Dat oīb᷒ af-
fluent et nō improꝑat. Vn̄ et thitus impator fi-
lius veſpaſiani. dicebat delitie generis hūani. qꝛ
fuit valde liberalis et hūanus. Et vna die cuꝫ nil
dediſſet alicui: dixit baronib᷒ ſuis. Cariſſimi hūc
diē ꝑdidimus. qꝛ nil boni alicui dedim⁹. Sciē-
dū tn̄ ſm Tho. ſc̄da ſc̄de. q. cxvij. arti. vj. ꝙ libali
tas. etſi multū ſit laudabilis. ñ tn̄ ē maxima v̄tu
tū. Pro c⁹ declaratōne dic idem. ꝙ cuꝫ v̄tus tēdat
in aliqđ bonū. tāto v̄tus ē melior ſeu maior q̄nto
melius ē bonū ī quod tēdit. Liberalitas aūt ten-
dit in aliquod bonū dupl'r. Vno modo ꝑ ſe. Alio
mō ex ꝯn̄ti. Et p̄mo et ꝑ ſe attēdit ad ordinādūꝫ
ꝓpriā affectōnem circa pecuniā poſſeſſā et vſum
eius. Et ſic ſm hoc p̄fertur liberalitati tꝑantia.
q̄ moderat ꝯcupias et delectatōnes ꝑtinentes ad
ꝓpriū corpus. Et fortitudo ⁊ iuſticia q̄ ordināt̄ur
quodāmodo in bonū ꝯmune. vna tp̄e pacis. alia
tp̄e belli. Et oīb᷒ p̄ferūt v̄tutes q̄ ordināt nos
in bonū diuinum. Nā bonū dei p̄eminet cuilibet
bono hūano. Et in bonis hūanis bonū publicuꝫ
p̄eminet bono p̄uato in quib᷒ bonū corporis p̄emi-
net bonū exterioꝝ reꝝ. Alio mō ordinat libera-
litas ad aliqđ bonū ex ꝯn̄ti. Et ſm hoc libalitas
ordinat in omnia bona p̄dicta. Ex hoc eīm ꝙ hō
nō ē amatiu⁹ pecunie. ſequit ꝙ de facili vtat ea. ⁊
ad vtilitatē ipſius. et vtilitatē alioꝝ. ⁊ ad honorē
dei. Et ſm hoc hꝫ quādā excellentiā ex hoc ꝙ eſt
vtilis ad multa. Quia tn̄ vnūquodqꝫ magis iudi
cat ſm id qđ ꝯpetit ei p̄mo et ꝑ ſe. ꝙ ſm id quod
ꝯpetit ei ex ꝯn̄ti. iō liberalitas nō ē maxima v̄tu
tū. Vn̄ ⁊ Amb. in li. de offi. dicit. ꝙ iuſticia excel
ſior videt liberalitate: ſed liberalitas gratior. Et
ph'us in li. retho. ait. ꝙ fortes ⁊ iuſti maxime ho
norātur. et poſt eos liberales. Amātur aūt libe-
rales multū ꝯmūiter. nō amicitia honeſti q̄ſi ſint
meliores: ſꝫ amicitia vtilis. qꝛ ſūt vtiliores in ex-
teriorib᷒ bonis que cupiunt hoīes maxīe. Et ꝓp̄
eādem cauſā clari reddūt. Qꝛ etiaꝫ deus det bona
ſua habūdanter magis ꝓcedit ex caritate que eſt
vtiqꝫ maxima v̄tutum. ꝙ ꝑtineat ad liberalitatē
Quelibet etiā virtus participat rōnem boni q̄-
tum ad emiſſionē actus ꝓprij. Actus aūt quarū-
dam aliaꝝ virtutum ſunt meliores pecunia quā
emittit liberalis.

## De miſc̄dia multiplici ⁊ ei⁹ vtilitate. Ca. xviij.

De miſericordia hic agi-
tur. qꝛ q̄uis non ſit ꝑs iuſticie. nec ei
ānexa: ſꝫ effectus caritatis interior.
ſm tho. tn̄ in actu ei⁹ exteriori hꝫ ſi-
militudinē cū liberalitate. et ꝯuenit cū ipa. Sciē
dū igit ꝙ motiuū ad miſc̄diam ē malū. Vn̄ Ioh.
damaſ. ij. li. dicit. ꝙ miſericordia ē ſp̄es triſticie.
motiuū aūt ad triſticiā eſt malū. Quid aūt ſit mi
ſericordia Aug. in. ix. li. de ciui. dei ſic eam diffi-
nit. Miſericordia ē aliene miſerie nr̄o in corde cō
paſſio. q̄ vtiqꝫ ſi poſſumus ſubuenire: ꝯpellimur
Circa quā diffinitōnem tria ſunt videnda. Prio
obiectū qđ reſpicit. et hoc eſt ꝓximi defectio duꝫ
dicit aliene miſerie. Secūdo actum quē in nobis
facit. et hoc eſt nr̄i ꝯtriſtatio. dū ſubdit in corde
nr̄o ꝯpaſſio. Tertō effectū quem extra ꝓducit. et
hoc eſt mali iuxta poſſe ablatio. dum dicit. Qua
vtiqꝫ ⁊c̄. Quātū ad primū. miſericordia dr̄ miſe-
riā corde aſpitiēs. Per ſecūdū dr̄. Miſc̄dia miſeꝝ
habens cor. i. triſte. ſm tertiū pūctū diffinitōnis
dr̄ miſc̄dia miſeriā adimens. i. tollēs ꝑ dationem
elemoſine. Et q̄tum ad fructuꝫ qui ſequit ex mi-
ſericordia ē alia interp̄tatio. i. mira ſuauitas ri-
gans corda. ſ. facientiū miſericordiā. Quia vt dr̄
Mat. v. Beati miſericordes qm̄ ipi miſc̄diam ꝯſe
quētur. ſ. in patria ſuperna. p̄s. Domine in celo
miſericordia tua. non. ſ. alia ꝙ mira ſuauitas ri-
gans corda beatorum.

## ¶ Pro declaratione pmi ſcȝ . §. j.

q̄ obiectū ad qđ reſpicit miſcđia et qđ mouet hominē ad miſerēdū: ē defectus ſeu miſeria alteri⁹. Dic Tho. ſcđa ſcđe. q. xxx. arť. j. q̄ miſeria opponiť felicitati. Eſt aūt de rōne btitudinis ſeu felicitatis. q̄ aliq̄s potiať eo qđ vult. Nā ſic Aug. dic in li. de trini. Btūs eſt qui hȝ qđ vult. ⁊ nihil mali vult. Et iđ ɔ̄trio ad miſeriā ptinet. q̄ hō patiať qđ nō vult. Tripl'r aūt vult hō aliqđ. Uno modo appetitu naturali. ſicut oēs hoīes volūt eē ⁊ viuē Secūdo mō vult aliqđ p electōem ex aliq̄ pmeditatōne. Tertō mō vult aliqđ n̄ ſm ſe: ſȝ in cā ſua. puta q̄ vult ɔmedere nociua: dicim⁹ eū velle īfirmari. Hic igiť motiuū ad miſcđiam tāq̄ ad miſeriā ptinēs. Primo quidē ē id qđ ɔ̄riať appetitui naturali. volētis. ſ. mala corruptīa ⁊ ɔtriſtātia. q̄z ɔ̄ria natural'r hoīes appetūt. vt infirmitates et h⁹. Vn̄ et phs dicit in. ij. retho. q̄ miſericordia ē triſticia quedā ſup apparēti malo. corruptio vl' cōtriſtatiuo. Secūdo adhuc magis efficiunť ad miſcđiam puocātia. vtpote magis ɔtriſtatiua ſi ſint ɔ̄ volūtatē electōnis. vn̄ phs dic ibidē. ſ. ij. retho. q̄ illa magis miſerabilia ſūt. q̄z fortūa ē cā: puta cū aliqđ malū euenit. vn̄ quis ſperabat bonū. Tertō ad hoc ſūt magis miſabilia. ſi ſūt ɔtra totā voluntatē: puta ſi aliq̄s ſp ſectatus ē bona. et ei euenerūt mala. Vn̄ phs dic ibidem. q̄ maxima miſcđia ē ſup malis eius. qui indigne patiť.

¶ Vel pt dici q̄ triplex ē miſeria. ad quā reſpicit miſericordia. ſeu que mouet ad miſcđiam. Pria eſt miſeria culpe. Secūda miſeria nature. Tertia miſeria fortune. Peccatū ſeu culpa vtiq̄ inducit magnā aīe miſeriaȝ. adeo q̄ ſi ipam n̄ purgat hō p pniam: incurrit ſūmā miſeriā gehēne. Unde et Sapiēs dicit. Miſeros facit ppl'os pctm Et ps. Miſer factus ſū et curuatus ſū vſq̄ i finē Et licȝ pprie ſm diffinitōem. miſcđia ſit ⁊ moueať ſup aliena miſeria. tn̄ large etiā erga ppriam miſeriā culpe diciť moueri dū ad remouēdū ipam culpā penitētiam agit. Unde Aug. Qui vult ordinate dare elemoſinā. prius debet a ſeipo incipere. et eā ſibi pmit⁹ dare. Eſt enī elemoſina op⁹ miſericordie veriſſime. de qua dictū eſt. Fili miſerere aīme tue placēs deo. de pe. di. iij. Ad alios aūt pprie eſt miſericordia quo ad culpas eorū. vel reſpectu cecitatis eoꝝ. vel reſpectu pene ad quā diſponūtur. Unde ⁊ de xp̄o dr̄ Marci. vj. q̄ vidēs iſtas turbas miſtus eſt eis. qui erāt vexati et iacētes ſicut oues nō habētes paſtorē. Et Grego. in omel'. dicit. q̄ vera iuſticia hȝ ɔpaſſionē ad peccatores nō dedignatōnem. Sed falſa iuſticia ecōtra nō habet ɔpaſſionē: ſȝ dedignatōem. diſ. xlv. vera. Miſeria nature qua. ſ. quis īfirmať vel moriť. etiā mouet et mouere dȝ ad ɔpaſſionē. Unde et xp̄c videns mulierē viduā ſequentē ad ſepulturam vnicū filium delatuȝ mortuū: miſericordia motus eſt ſup eam. et reſuſcitauit illuȝ Lu. vij. Sic multis diuerſ lāguoribꝫ preſſis. petentibus eius miſericordiā: miſtus eſt eis. ⁊ a miſerijs aīe et corporis liberauit. Miſeriam fortune. i. in defectu bonoꝝ fortune etiā reſpicit miſericordia. vt ɔpatiatur paupibꝫ et ſubueniat ſi pt Tob. iiij dicit. Quō potueris ita eſto miſericors. nec auertas faciem tuā ab vllo paupe. ſ. ſubleuādo miſeriā inopie. Et pcipue his q̄ fuerūt felices. Quia vt ait Boetius. Maximū infortunij genus fuiſſe felicem. Et hac miſcđia ſingulariť vſus ē beatus Nicolaus. qui audiēs vicinū eius nobilē: ſȝ pauperē effectū. tres filias vgines pre pauptate velle exponere turpitudini. vt de eaꝝ lucro ſuſtentarētur. Tribꝫ vicibꝫ occulte miſit p feneſtrā. ⁊ piecit in domū tantū auri. vt traderet eas nuptui. ⁊ ipe ſuſtētari poſſet. Hac miſcđia vſus eſt beatus pater dn̄icus. qui voluit ſe bis vendidare. vt de p̄tio ſuo ſemel filius vidue redimereť a ſarracēis a quibꝫ captiuus tenebať. Altera vice p ſubleuāda inopia quorūdā nobiliū. qui ppter pauptatem filias ſuas dederāt hereticis nutriēdas et erudiēdas. Sed dominus aliter prouidit.

## ¶ Q̄tum ad ſecūdū id quod . §. ij.

facit in nobꝫ miſcđia ē. q̄ generat triſticiā ſeu dolorem ɔpaſſionis in nobis. vt pȝ ex diffinitōe ſupposita. Cōpati enī eſt ſimul pati. ſ. cum afflicto. Ubi ſciendū ſm Tho. ſcđa ſcđe. q. xxx. arti. iij. q̄ dolor d aliena miſeria quē hȝ miſericors pt ſumi dupl'r. Uno mō put noīat motū appetit⁹ ſenſitiui Et ſic miſcđia n̄ ē vtus: ſȝ paſſio quedā. Alio mō put noīat motuȝ appetitus intellectiui. ſ. ſm qđ alicui diſplicet malū alterius. Hic aūt motus pt eſſe ſm rōnem regulatus. et pt quis ſm hūc motum rōne regulatū regulare motū inferioris appetit⁹. Vn̄ Aug. dicit in. ix. de ciui. dei. Qȝ iſte motus animi. ſ. actus miſcđie. tūc eſt ſm rōnem. qn̄ ita prebeť miſcđia. q̄ iuſticia ɔſuať. ſicut cū indigenti tribuiť. ſiue cū ignoſciť penitenti. Et q̄ rō vtutis hūane in hoc ɔſiſtit. q̄ motus aīmi rōne reguleť. Ideo ex hoc oñditur. q̄ miſcđia ſit vtus Vn̄ Aug. ix. de ciui. dei: ait. Longe melius ⁊ humanius et piorū ſenſibꝫ accomodati⁹. in ceſaris laudē locutus ē. ſ. cicero. vbi ait. Nulla de vtutibꝫ tuis nec admirabilior nec gtior miſcđia eſt. Nec obſtat huic ſnīe. ſ. miſericordiā eſſe vtutem. id qđ ait Saluſtius: videlicet. Oēs hoīes qui de rebꝫ dubijs ɔſultāt: ab ira et miſcđia vacuos eē decȝ. Nō enī animus facile veꝝ puidet. niſi iſta offitiāt Hoc enī dictū Saluſtij intelligiť ſm Tho. qn̄ miſericordia ē paſſio nō regulata rōne. Sic eī impedit ɔſiliū rōnis. dū a iuſticia recedit. Vn̄ Au. Duo iſta noīa nō fruſtra dicūtur. hō. peccator. Naȝ q̄ pctor eſt: corrige. q̄ homo ē: miſeré. nec poteris iuſte miſereri hoī. ſi nō correxeris pctōrem. xxiij. q. iiij. duo. ¶ Eſt aūt miſericordia virtus ſpālis. nec quidem intellectualis nec theologica: ſed moralis. exiſtens circa paſſiones. Et reducitur ad illā medietatē q̄ diciť nemeſis. Quis enī habeant miſericordia ⁊ nemeſis ɔtrarietateȝ ex parte extimatōnis. quam habent de malis. de quibꝫ miſericors dolet. inq̄tum extimat aliquem indigna pati. Neemeſiticus aūt gaudet de malis alterius. inq̄tum extimat illū digne pati. et tri-

ſtatur ſi indignis bñ accidit. Utrūqꝫ tñ ẽ laudabi
le. et ab eodẽ amore ꝓcedens. vt dic phs in. ij. re
tho. Et has quidẽ medietates in quibꝰ ↄſiſtit mi
ſericordia ⁊ neemeſis. et quedā alie. Phus in. ij.
retho. nō noīat ꝟtutes: ſed paſſiones. qꝛ etiā ſm
qꝺ ſūt paſſiones ſunt laudabiles. Tñ nihil ꝓhibꝫ
ꝙ tles ab aliquo actiuo hitu ꝓueniāt. Et ſic aſſu
mūt rōnem ꝟtutis. Et actus quidẽ ꝓprius miſeri
cordie imediatus. ſ. ↄpati miſcdie alterius. oppo
nit̃ inuidie. de q̃ habes in. ij. pte ti. viij. Actus aũt
exterior qui ẽ elā. opponit̃ vitio qꝺ dr̃ obduratō
ↄ miſcdiam. de q̃ in. ij. pte. ti. j. c. penlt. Procedit
aūt miſcdia a caritate ſicut effectus a ſua cauſa
Et lꝫ pax ⁊ gaudiū ſint actus interiores a carita
te ꝓcedētes. vt miſcdia. cū qꝛ nihil addiciūt ſuper
rōnem boni qꝺ ẽ obiectū caritatis. iō ñ reqrunt
alias ꝟtutes ꝙ caritatẽ. Sꝫ miſcdia reſpicit q̄n
dā ſpālem rōnẽ. ſ. miſeriā eiꝰ cui miſeret̃ qs. ⁊ iō
ponit̃ ſpālis ꝟtus. Nec obſtat ꝙ aliqs ſit exẽ ca
ritatẽ. ⁊ tñ hꝫ ↄpaſſionẽ ad paupes ⁊ elemoſinas
largiat̃. qꝛ ſm tho. aliqꝺ dr̃ actus ꝟtutis dupl'r
Uno mō materialit̃ vt facẽ actus de genẽ bonoꝝ
elemoſinas. ieiunia ⁊ hꝰ. Et hoc p̄t fieri ſine cari
tate. Alio mō formalit̃. i. eo mō opari q̃ ꝟtuoſus
facit. vt ꝓmpte delectabil'r et omni eo mō q̃ fieri
debet. et ſic elemoſina fieri non p̄t ſine caritate.

Inducūt aūt natural'r ad miſcdiam. amicitia
ad aliū. ſimilis ↄditio. Sapia. ſenectus. debilitas
timiditas. Rō huiꝰ ẽ ſm tho. vbi ſup̄. ar. ij. qꝛ ex
hoc ↄtigit ꝙ aliqs miſereat̃. ex q̃ ↄtingit ꝙ de mi
ſeria aliena doleat. Sed cū dolor ſeu triſticia de
ꝓprio malo ſit. intātū aliqs de aliena miſeria tri
ſtat̃ aut dolet. inq̄ntū apprehēdit alienā miſeriā
vt ſuā. Hoc aūt ↄtingit dupl'r. Uno mō ꝑ vnionẽ
effectus. qꝺ fit ꝑ amorẽ. qꝛ cū amās reputat ami
cū tanq̄ ſeipm. malū amici reputat vt ſuū. et iō
dolet de malo amici vt de ſuo. Unde et phs in. ix.
ethi. ponit inter amicabilia. hoc qꝺ eſt cōdolere
amico. Et apl's ad Ro. xij. Gaudere cū gaudenti
bus flere cū flentibꝰ. Alio mō apprehēdit qs mi
ſeriā alterius vt ſuā. ſm vnionẽ realẽ: vtpote cū
malū alioꝝ ꝓpinquū eſt. vt ad nos trāſeat ab eis.
Unde phs in. ij. retho. ꝙ homines miſerētur ſuꝑ
alios qui eis ↄiuncti ſunt. et ſimiles. qꝛ ꝑ hoc fit
in eis extimatō ꝙ ipi poſſunt etiaꝫ ſimilia pati.
Et inde eſt ꝙ ſenes ⁊ ſapiētes. qui ↄſiderāt ſe etiā
in mala poſſe incidere. ⁊ debiles ⁊ formidoloſi ma
gis ſūt miſericordes. Ecōtrario aūt q̃ reputāt ſe
eſſe felices. et intantū potētes. ꝙ nil mali putāt
ſe poſſe pati. nō ita miſerent̃. Sil'r ſuꝑbi nō miſe
rent̃. qꝛ ↄtempnūt alios et reputāt malos. Sil'r
alij qui ſūt in ↄtumeliatia diſpoſitōe. Siue quia
ſciūt ↄtumeliā pati. ſiue qꝛ velint ↄtumeliā alijs
inferre: ꝓuocātur ad irā et audaciā. Uñ dum ſūt
in hac diſpoſitōne nō miſerētur. ꝓuer. xxvij. Ira
nō hꝫ miſcdiam neqꝫ erūpens clamor. Dicit etiā
phs. ꝙ duꝝ eſt expulſiuū miſeratōis. Illi enī qui
ſunt in magnis malis. qui nō timent ſe vlterius
pati aliquid. et qꝛ tantū intēdunt ꝓprie paſſioni.
ꝙ non aliene. ideo non miſerētur. Ita etiā ſi ſint
alique ꝑſone nobis ↄiuncte. vt filij et parētes. qꝛ
reputātur q̄ſi aliquid noſtri. non ꝓprie miſeremur
ſed dolemus. ſicut in vulneribꝰ noſtris.

## Quantum ad tertiū. i. effectū. §. iij.

exteriorẽ miſcdie. Sciendū ꝙ hoc ẽ facẽ elemoſi
nas quibꝰ miſerijs alioꝝ ſubuenimꝰ ⁊ alios ſuble
uamus. Hoc aūt ſic declarat. b. tho. ſcda ſcde. q.
xxxij. ar. j. Exteriores actꝰ ad illā ꝟtutẽ referūt̃.
ad quā ꝑtinet id qꝺ ẽ motiuū ad agendū hꝰ actꝰ.
Motiuū aūt ad dādū elemoſinas ẽ. vt ſubuenia
tur neceſſitatẽ paciēti. Uñ quidā diffinientes ele
moſinā: dicūt. ꝙ elemoſina ẽ opꝰ. q̃ dat̃ aliquid
indigēti ex ↄpaſſione ꝓpter deū. Qꝺ quidẽ motiuū
ꝑtinet ad miſericordiā. Uñ manifeſtū eſt. ꝙ dare
elemoſinā ẽ ꝓpe actus miſcdie. Et hoc apparet ex
ipo noīe. Naꝫ in greco a miſcdia elemoſina deri
uat̃. ſicut in latino miſeratō a miſcdia. Et qꝛ mi
ſericordia ẽ effectꝰ caritatis. ex ↄñti dare elemo
ſinā ẽ actus caritatis. miſcdia mediāte. Et ſcdm
hoc dr̃. j. io. iij. Siqs hūerit ſubam hꝰ mūdi. ⁊ vi
derit frem ſuū neceſſe hr̃e. ⁊ clauſerit viſcera ſua
ab eo. et ñ dederit ei. q̄uo caritas dei manꝫ in illo
Pōt etiā elemoſina eſſe actus iuſticie inq̄tum. ſ
dat̃ ad ſatiſfaciendū peccatis ſuis. ſm illꝺ Dañ.
iiij. Peccata tua elemoſinis redime. Nihil eī ꝓhi
bet ſm Tho. vbi ſup̄. actū qui ẽ ꝓprie vniꝰ ꝟtutis
electiue. attribui alteri ꝟtuti ſic impanti et ordi
nāti ad ſuū finẽ. Et hoc modo dare elemoſinā po
nit̃ inter opa ſatiſfactōnis. inq̄tum miſeratō in
defectu paciētis ordinat̃ ad placandū deū. et ſic
impatur a latria. habens rōnem ſacrifitij.

## Sunt aūt genera elemoſinarum. §. iiij.

ſiue corpalis ſeptẽ. Et ſimilit̃ elemoſine ſpūalis.
Et corpales ſunt he. Paſcere eſurienteꝫ. potare
ſitientẽ. veſtire nudū. recolligere hoſpitẽ. viſitare
infirmū. redimere captiuū. ſepelire mortuū. De
his dr̃ Mat. xxv. Eſuriui enī et dediſtis mihi mā
ducare ⁊c̃. Et cōtinent̃ in hoc verſu. Uiſito poto
cibo redimo tego colligo condo. Per has ſubue
nitur neceſſitati corpis. Sufficientiā aũt haꝝ ſic
aſſigt̃. b. tho. vbi ſup̄. ar. ij. Defectus corpal' aut
eſt in vita. aut ẽ poſt mortem. Si ẽ in vita. aut ẽ
ↄmunis reſpectu eoꝝ. quoꝝ oēs indigēt. aut ẽ
ſpālis ꝓpter aliqꝺ accidens ſuꝑueniēs. Si primo
mō. aut ẽ defectus interior. aut exterior. Interi
or defectus ẽ duplex. vnus cui ſubuenit̃ ꝑ alimẽ
tū ſiccū. ſ. fames. Et ſm hoc ponit̃ paſcẽ eſurien
tẽ Iſa. lviij. Frāge eſuriēti panẽ tuū. Alius defe
ctus eſt cui ſubuenit̃ ꝑ alimentum humidum. ſ.
ſitis. Et ſm hoc ponit̃ potare ſitientẽ. ꝓuer. xxv
Si ſitit inimicus tuꝰ potū da illi. Defectus cōis
reſpectu exterioris auxilij ẽ duplex. Unus eſt re
ſpectu tegumenti. Et q̄tuꝫ ad hoc ponit̃ veſtire
nuduꝫ Lu. iij. ait Io. bap. Qui habet duas tuni
cas. i. ad ſuꝑfluitatẽ. det vnam nō habēti. Alius
defectus eſt reſpectu habitaculi. Et q̄tuꝫ ad hoc
ponitur recipere hoſpitem Apl's. hoſpitalitateꝫ
ſectantes. Si vō ſit defectus aliqs ſpūalis ꝓpter
aliquod accidens ſuꝑueniēs. aut hoc ẽ ex cauſa

extrinſeca. Et q̃tum ad hoc ponit̃ redẽptiõ capti uoꝝ Amb. Ornatus ſacroꝝ ẽ redẽptio captiuoꝝ xij. q. ij. auꝝ. Aut defectus talis ẽ ex cauſa intrinſeca. vt infirmitas. et ſic ponit̃ viſitare infirmũ Job. Viſitans ſpẽm tuã. i. hominẽ in infirmitate nõ peccabis. Poſt vitã autẽ exhibet̃ elemoſina mortuo. ſepultura eccleſiaſtica. Actus dicit̃ de Stephano lapidato. q̃ ſepelierunt eũ viri timorati. Et q̃uis ſepultura mortui non ꝓferat ei q̃tum ad ſenſũ. quẽ corpus poſt vitã non habet. ꝛ ideo dñs Math. xxv. nõ ponit hoc inter alia opa miſericordie corꝑalis. qꝛ ſolũ ibi ea ponit q̃ ſunt euidẽtis neceſſitatis corꝑi. Pertinet tñ ad defũctum q̃d de eius corꝑe agat̃. inq̃tum viuit in memorijs hoim. cuiꝰ honor deteſtat̃ ſi careat ſepultura. Pertinet etiã ad effectũ quẽ adhuc viuens hẽbat de corꝑe ſuo cui debꝫ ꝯformari affectꝰ pioꝝ poſt mortẽ eius. Vñ ꝛ aliq̃ ꝯmẽdant̃ de ſepultura exhibita alijs. Et de dño ihu xp̃o legitur. q̃ mãdauit frontoni ep̃o. q̃ iret ad faciẽdũ exeq̃as funeris ſue hoſpite marthe. Cui ꝛ ip̃e dñs affuit Et Anthonius ſepeliuit Paulũ primũ heremitã leonibꝫ facientibꝫ foueã. Et ſil'r pãnutius honofriũ. Siqui aũt alij defectus ſũt corꝑales. quibus ſubueniẽdũ eſt: ad p̃dictos reducũt̃. Cecitas aũt et claudicatõ ſũt infirmitates. et iõ dirigẽ cecũ et ſuſtẽtare claudũ: ad viſitatõem infirmoꝝ reducũtur. Subuenire hoĩ ꝯtra quãcunqꝫ impſſionem ei extrinſecus illatũ: ꝑtinet ad redẽptõnem captiuoꝝ. Et ſil'r debitoribꝫ. liberos et ſeruos adducere libertati. Tradere nuptui puellas pauꝑes elemoſinalit̃ ꝓuidetur anime et corpori.

## Elemoſine ſimiliter ſpiri- .§. v.

tuales ſũt ſeptẽ. ſ. docere ignorantẽ. ꝯſulere dubitãti. ꝯſolari triſtẽ. corrigere peccantẽ. remittẽ offendẽti. Portare oneroſos ꝛ g̃ues. ꝛ ꝓ oĩbꝫ exorare. Et ꝯtinẽtur in hoc verſu. Cõſule. caſtiga. remitte. ſolare. fer. ora. Et ſub ꝯſilio ꝯp̃hendunt̃ duo. ſ. ꝯſiliũ ꝛ doctrina. Cuiꝰ ſufficiẽtiã ſic aſſig̃t b. tho. vbi ſuꝑ. Per iſtas elemoſinas ſubuenitur defectibꝫ ſp̃ualibꝫ aĩe. Hoc aũt fit dupliciť. Vno mõ poſcẽdo auxiliũ a deo. et hoc fit ꝑ oꝛõnẽ Ja. v. Orate ꝓinuicẽ vt ſalnemi. Alio mõ ſubuenit̃ defectibꝫ aĩe impẽdendo ei auxiliũ hũanũ. et hoc tripl'r. Vno mõ impẽdendo auxiliũ ꝯ defectũ intellectus. et hoc fit ꝑ doctrinã ad Ro. xij. Qui docet in doctrina. ſ. ſubueniat ꝓximo. Qui exhortatur in exhortãdo. Si aũt ſit intellectus practici. ſic adhibet̃ remediũ ꝑ ꝯſiliũ Tob. iiij. Cõſiliũ ſꝑ a ſapiẽte iquire. Et. xij. q. ij. bone rei dare ꝯſiliũ et p̃ntis vite habet meritũ et future remuneratõnis cernit ſubſidiũ. Alio mõ eſt defectus ex paſſione appetitiue v̇tutis. inter quos maxie eſt triſticia. cui ſubuenit̃ ꝑ ꝯſolatõꝫ. Itaqꝫ ꝯſolami inuicem in v̇bis iſtis et nõ ꝯtriſtamini de dormiẽtibꝫ ſicut gẽtes que ſpem nõ hñt: ait ap'ls. Tertõ mõ ex ꝑte inordinati actus. qui tripl'r ꝯſiderari põt Vno mõ ex ꝑte ipſius peccãtis. inq̃tuꝫ ꝓcedit ex eius inordinata volũtate. ꝛ ſic adhibet̃ remediũ ꝑ correctõeꝫ. ſm illud Mat. xviij. Si peccauerit in te frater tuus. vade ꝛ corripe eũ inter te ꝛ ip̃m ſolum. Et ap'ls ad Thi. Peccantẽ corã oĩbꝫ argue. Alio mõ ex ꝑte eius in quẽ peccat̃. Et ſi q̃dẽ ſit pc̃m in nos ꝯmiſſũ. remediũ adhibemꝰ remittendo offenſã. ſm illud Lu. vj. Dimittite ꝛ dimittetur ſeu dimittemi. Et Mat. xviij. Serue nequã oĩe d̓bitũ dimiſi tibi qm̃ rogaſti me. Nõne oportuit te ꝛ miſereri ꝯſerui tui. Si aũt offenſa ſit in deũ vel in ꝓximũ. ñ eſt remittere in nr̃o arbitrio ſm Hiero. Tertõ mõ ex ꝑte ſequele ipſius actꝰ inordinati. ex qua g̃uãtur ei ꝯuiuentes. etiã p̃ter peccãtis intentionẽ. Et ſic remediũ adhibet̃ ſupportãdo. maxĩe in his q̃ ex infirmitate deficiunt. ſeu peccãt. ſm illud ad Ro. xv. Debemꝰ nos firmiores ĩfirmitates alioꝝ portare. ꝛ ñ ſolũ ſm q̃d ĩfirmi ſũt g̃ues ex ĩordĩatibꝫ actibꝫ: ſꝫ et̃ vniuſcꝰ qꝫ ſũt onera ſupportãda. ſm illd̓ ad Gal'. vj. Alẽ alteriꝰ onera portate ꝛ ſic adimplebitis legẽ xp̃i.

## Faciẽdo aũt ꝯparationẽ .§. vj.

